

narum familiaris fuit, qui fraudator rei acceptae aut commissae sibi aut minus commissae fuerit, inter haec si de rebus secum allatis extulerit, qui furatus fuerit, qui personam innocentem falso crimine maculaverit, qui cum parvulo jocaverit, qui cum eo riserit, qui illum osculatus fuerit, qui cum altero in uno lecto jacuerit, qui extra communem mensam privatim vel furtim quidpiam sumpserit, qui, ut otiosus sit, falsitatem praetenderit. Sed de his omnibus culpis, quas graviores dicimus, subtili investigatione pensandum est, quo animo aut qua intentione eas quilibet perpetraverit, ut secundum meritum judicari valeat. Nam et in ipsis gravioribus culpis non semper aequaliter graviores inveniuntur.

*Cap. XXIV.*

QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS.

*Modus*, i. e. qualitas vel quantitas. Sententiam suam exsequitur, quia superius dixit duo, i. e. *si intelligit, qualis poena sit, excommunicationi subjaceat; sin autem improbus fuerit, vindictae corporali subdatur*, hic autem dicit: *Secundum modum culpae et excommunicationis vel disciplinae debet extendi mensura* - ac si diceret: Juxta qualitatem vel quantitatem negligentiae, ita debet extendi mensura excommunicationis vel disciplinae. *Disciplina*, quanquam multis modis intelligatur, i. e. admonitio vel correptio et reliqua, tamen in hoc loco pro virga ponitur.

Sequitur: *qui culparum modus in abbatis pendeat judicio* - ac si diceret aliis verbis: Qualitas vel quantitas culpae ad abbatis judicium respicit, i. e. in ejus aestimatione consistit. Ille autem discernat, utrum levis sit culpa vel gravis. Attendendum est in hoc loco, quia non dixit, ut ille abbas det judicium de levibus culpis vel de gravibus, sed dixit solummodo : abbas discernat, utrum sit illa culpa levis an gravis, quia ipse S. Benedictus dat judicium de levibus et de gravibus - ac si diceret aliis verbis S. Benedictus: Abbas vero solummodo discernat utrum levis sit negligentia an gravis, quia ego judico de levi culpa et de gravi. In